

quem multa scripsit, tanquam falsi conuicturus eum. Resurrectionem carnis fore negavit. id quod & Simoniani & Marcionitæ sumpserunt à Sadducæis, quemadmodum Tertullianus, & rectè quidem, sentit. Et hæ sunt teterrimi hominis aduersus Deum blasphemix, aduersus quas etiam Theodotion Tatianus scripsit, quemadmodum Platina scribit.

## CAP. XXIIII.

Seueriani cur sic appellati. Erroris autem eorum capita quatuor explicata.

**S**eueriani à Seuero exorti, vinum non bibunt, eo quòd fabulosa vanitate de Satana & terra germinasse asserunt vitem. Etiam ipsi non sanam doctrinam suam, quibus volunt, insunt principum nominibus: Carnis resurrectionem cum veteri Testamento respicientes. Hic præterea Philumenam quandam puellam dicebat inspiratam diuinitus ad prænuntianda futura, ad quam somnia atque æstus animi sui referens, diuinationibus seu præfagiis eius secretim erat solitus præmoneri, eodem phantasmate eidem Philumene pueri habitu se demonstrante, qui puer apparens Christum se, aliquando, aliquando esse assererat Paulum, à quo phantasmate sciscitans ea solet respondere quæ se audientibus diceret. Nonnulla quoque illam miracula operari solitam, inter quæ illud præcipuum, quod in angustissimi oris ampullam vitream panem grandem immitteret, eumque extremis digitulis lenare solet illæsum, eoque solo quasi diuinitus sibi cibo dato fuisset contenta.